



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IV. Idem (a) Lucensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

CAPUT II.

Idem (a) *Cenomanensi Episcopo.*

EX litterarum tuarum tenore percepimus, quod lator presentium in Subdiaconatus officio constitutus, quandam sibi in conjugem copulavit. Unde tu, sicut vir providus, & discretus, ipsum eandem, quam in uxorem duxerat, (b) abjurare fecisti; super quo facta prudentiam tuam in Domino commendamus, per presentia tibi scripta mandantes, quatenus si ad canonicum, vel monasticum ordinem transire voluerit, post septennem (c) poenitentiam laudabiliter in claustris peractam, si tibi, vel successori tuo idoneum visum fuerit, eum ad majores Ordines promoveri concedas. Quod si ad religionem se conferre noluerit, eum in subdiaconatu ministrare, neque ad superiores permittas ordines promoveri. In minoribus tamen ordinibus poterit ministrare.

NOTÆ.

1. (a) *Cenomanensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* & post Concil. Lateran. p. 50. *cap. 59.* De diocesi Cenomanensi nonnulla adduxi in c. 54. *de electione.*
(b) *Abjurare.* Id est cum juramento dimitte-

re, & renuntiare, ut probavi in *cap. 4. de rescriptis.*

(c) *Poenitentiam.*] De poenis clericorum, qui in sacris ordinibus constituti, matrimonium contraxerunt, egi in *cap. 6. de cleric. conjug.* & quæ spectant ad eorum matrimonium, adduxi late in *cap. 1. de clericis conjugatis.*

CAPUT III.

Idem (a) *Uvigorn. Episcopo.*

MEMINIMUS nos ex parte tua, questionem hujusmodi audivisse, scilicet utrum illi, qui se ad religionem coram Episcopo devoverint transiuros, & habitum religionis suscipiunt, si postmodum uxores duxerint, cogendi sint eas dimittere; & ad (b) Ecclesiam, cui se contulerint, redire? Super hoc utique duximus respondendum, quod si quisquam qui se religioni devoverit, & habitu suscepto professionem fecerit, & postmodum aliquam sibi copulaverit, est ab ea cogendus recedere, & ad eam, cui se contulerit, Ecclesiam sine contradictione transire. Verum si habitum non suscepit, nec professionem, sed votum solummodo fecit, & se ad religionem transiurum promisit, licet postea matrimonium contraxerit, non est ad Ecclesiam cogendus transire, & matrimonii votum rescindere.

NOTÆ.

1. (a) *Uvigorn.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 6.* & alias partes hujus Decretalis congesti in *cap. meminimus, de appel.*
2. (b) *Ad Ecclesiam se contulit.*] Ex his verbis

facile colligitur, in presenti agi de Canonico regulari vitam regularem professo, qui forsitan canonicus erat ipsius Ecclesie Wigorniensis, quæ olim erat Canonicorum regularium, ut refert Pennotus *lib. 2. Canonic. Regul. cap. 37.* & ita Episcopus Wigorniensis de Canonico propriae Ecclesie forsitan consuluit ipsum Alexandrum III.

CAPUT IV.

Idem (a) *Lucensi Episcopo.*

CONSULUIT nos dilectio tua, quid faciendum sit de nobili muliere, quæ post mortem mariti, vestibus pretiosis abjectis, mutavit habitum, & de manu (b) presbyteri (c) velamen assumpsit, sed non renuntiavit propriis, nec intravit claustra, nec in manus alicujus Episcopi, Abbatis, vel Abbatisse, aut super altare (d) professæ est, vel obedientiam (e) promisit; postmodum verò anno elapso, cum multorum inquietudines ferre non posset, & lapsus incontinentiæ formidaret, abjecto religionis ha-

bitu cuidam nobili solemniter, ac per licentiam Ecclesiæ nupsit. Super hoc itaque consultationi tuæ taliter respondemus, quod sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit contractum; ita sine professione habitus susceptus, ne contrahatur, impedit; sed consummatum nequaquam dissolvit. De cætero noveris, quod Diaconus, quem literatum, & honestate præditum asseris, qui homicidii causam dedisse videtur, sicut ex tenore tuarum literarum perpendimus, non est ad sacerdotium promovendus.

NOTÆ.

1. (a) **L** *Uocens.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. ul. cap. 7. & post Concil. Lateran. p. 45. cap. 4. Lucensis civitas nobilis est Regni Galliciæ, sita ad ripas amnis Minii: colonia fuit Romanorum cum conventu juridico, & declinante Imperio Romano, & irrumpentibus in Hispaniam Gothorum populis, Svevi sedem in ea posuerunt: habet Ecclesiam Cathedralē, ubi perpetuò patet sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ut refert Agidius Gonzalez in theatro ipsius Ecclesiæ, Roderico ejus Præfuli missa est præiens epistola.
2. (b) *Presbyteri.*] Qui velum hoc sacris virginibus dare solebant: Optatus Milevit. lib. 2. de schismate Donatist. ibi: Memoratus Felix inter crimina, & facinora sua nefanda, ab eo comprehensâ puellâ, cui mitram ipse imposuerat, à qua Pater paulo ante vocabatur, nefarie incestare minime dubitaverit. Ubi mitram pro tegumento capitis, quo ascetrix in Africa utebantur, exponit Meril. lib. 3. observ. cap. 40.
3. (c) *Velamen.*] De quo velamine latè egi in cap. vidua, de regul.
4. (d) *Super altare.*] Juxta ritum quem illustravi in cap. 2. de consuet. acceptante tamen eo, qui potestatem habet velum imponendi, & admittendi ad professionem; ut exponit Avendanno de metu lib. 2. cap. 10. num. 10. Illud notandum est, viduas tempore professionis velum propriâ manu olim ab altare assumpsisse, cap. de votis, s. viduis, cap. viduas, cap. ultim. 20. q. 1. cap. viduas, cap. omnes, cap. vidua, 27. q. 1. Virgines verò de manu Episcopi, Abbatis, vel Presbyteri.
5. (e) *Promisit.*] Non tamen tale votum transacto anno, traditione, & consecratione solemnizatum fuit, ut in cap. insinuante, infra hoc titulo. Pro hujus textus interpretatione sciendum est, olim nonnullas virgines fuisse, quæ in propriis, seu paternis ædibus degentes, castitatis professionem ibi emittebant. Concil. Illiber. cap. 27. Carthag. 3. can. 33. D. Hieronym. epist. 16. & 44. D. Gregorius homil. 38. in Evang. & lib. 3. dial. cap. 14. Eugenius Papa epistol. Decretali, cap. 26.

Mulieres obtentu religionis velatae, aut in monasterio regulariter vivant, aut in domibus suis susceptum habitum castè observent. Tolet. 10. can. 5. Parisiense sub Ludovic. lib. 1. capite 44. Aurelian. 5. can. 19. ubi moniales, quæ nubebant, puniuntur, & illæ, quæ in domibus propriis, tam puellæ, quàm viduæ, commutatis vestibus convertuntur. Concil. Mogunt. can. 21. Sozomenus lib. 9. c. 1. ubi agens de quatuor fororibus Theodosii Junioris, Pulcheria, Placilla, Arcadia, & Mariana, quæ in domo propria castitatem voverant, ait: *Ac primum virginitatem suam devovit, deinde & sorores suas ad idem vita institutum educavit.* Et differentiam earum, quæ in monasteriis debebant, & quæ cum parentibus in natali versabantur domo, agnovit Gregorius Nazianzenus carmin. 47. ad Hellenum.

Ac multa tales toto versantur in orbe,

Qualescumque Dei porrigit alma fides.

Pars animis paribus incensa cupidine regni,

Tecta eadem, & vite par genus inque colit.

Affidet infirmis pars altera paribus, aut cum

Errantibus in sancta virginitate manet.

Tales etiam fuerunt Marcella, & Sophronia, apud Hieronymum epistol. 16. Idem de sorore sua B. Marcellina, indicat D. Ambrosius epistol. 46. ad Siagrum: notarunt Baronius tom. 1. anno 57. num. 123. Pater Serlogus tom. 3. in Cantica, vestig. 30. cap. 4. sect. unic. Suarez tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 7. n. 3. Filescus lib. 1. select. cap. 10. Lessius in peculiari opusculo de bono status castitatis in saculo, Yepes tom. 1. Chron. D. Benedicti, anno 576. Bellarm. lib. 1. de matr. cap. 21. & nos in can. 13. Concilii Illiber. quod tandem correctum fuit, & statutum, ut virgines, aut viduæ ad professionem castitatis non nisi in monasteriis admitterentur: Concil. Parisiense sub Ludovico Pio, can. 44. ibi: *Aut nubant, aut si potius Deo se sacrari exposulaverint, admoneantur, ut non in domibus propriis, sed in monasteriis, sub spiritalis matris regimine se serventur ad subdam.* Notavit Cironius in cap. unic. de convers. conjug. in 5. collect. Unde juxta illum veterem morem accipiendus est præiens textus.

CAPUT V.

(a) Idem.

Veniens ad præsentiam nostram Marcus (b) eremita, suâ nobis assertionē proposuit, quod I. mulier cuidam viro absenti fide datâ se nupturam promisit; sed postmodum audiens plura de severitate & inhumanitate ipsius viri, ei nullâ ratione voluit copulari: cum itaque timeret, ne illi nubere cogereretur, in (c) manibus suis simpliciter continentiaæ votum promisit, non tamen locum, aut vestem mutavit: quo audito prædictus vir aliam sibi copulavit, & ex ea prolem suscepit. Nos igitur itaque attendentes tutius esse, ut præfata mulier post fidem, & votum simplex obla-